32

IVRIDICVS

DISPVTATORVM AGON

QVASI AD ARAM IVSTITIÆ

IN SALMANTICENSI,

THEATRO COMMITTENDVS:

IVDICIBVS

LYTIS, PROLYTISQVE LEGVM,

ET ROMANÆ IVRISPRVDENTIÆ

CVLTORIBVS:

DIE VIII. MENS. APRILIS AN. DÑI. M.DC.LIII.

TERTVLLIANVS
CONTRA GNOSTICOS

CAP. VI.

Ab æuo dignißimum creditum eſt experimentum, committere artes: corporum, & vocum prȩſtantiam expendere, præmio indice, ſpectaculo iudice, ſententia voluptate, &c.

TERTVLLIANI AEMVLATOR,
Et Iuris Ciuilis peritus

AVRELIVS PRVDENTIVS V. CONSVLAR.

CÆSARAVGVSTANVS

CONTRA SYMMACHVM LIB. II.

Atquè æuum ſtatui, ſub quo generoſa probarem
Pectora: ne torpens, & non exercita virtus,
Robur eneruatum gereret, ſine laude paleſtræ.

GRA-

GRAVISSIMO

ET REVER^mo PATRI;

SANCTIORIS THEOLOGIÆ INSTRVCTISSIMO

ANTISTITI: TERTVLLIANVS de anim. cap. 8.

DIVINAE SECTAE, AC DISCIPLINAE MELIORI PHILOSOPHO: TERTVLLIANVS in pallio c. vlt.

SACRÆ FRANCISCANORVM FAMILIÆ

CVM OMNI FASTIGIO, ET SVGGESTV DIGNITATIS, ET POTESTATIS TERTVLLIANVS de Idolol. c. 18.

PRAEPOSITO GENERALI:

CONSVLTISSIMO INQVAM VIRO,

CLAR^mo Fr. PETRO MANERO,

CHRISTIANI PALII AVGVSTO DECORI:

PRAESTANTIS ORIS, NEC NON MANVS HEROI;

OB OMNEM LIBERALITATEM TERTVLLIANVS extremo pallio.

STVDIORVM.

A

TERTVLLIANVS de Coro. milit. cap 7.

A CHARITIBVS CORONANDO:

OB INSIGNEM RELIGIONEM,

PRVDENTIAM, ERVDITIONEM,

TERTVLLIANVS, Scorpiaci, c.6.

TER MERITO

DE FAMA AETERNITATEM, DE MEMORIA RESVRRECTIONEM;

SVVS D. IOSEPHVS MARTINEZ ARISCVS

S.P.D. ET HAS

IVRISPRVDENTIAE ROMANAE DISSERTATIONES:

OBSEQVII DEBITVM LVITVRVS.

L·M·D·C·P·B·M·

Splendida

SPLENDIDA inscriptione tui nominis (Franciscanæ familiæ magis Pater, quã Domine) vt scholasticas istas disputationes illustrarem non ambitio specie cultus fucata, & callido blanditiarum artificio erudita: sed animi iudicium, & sincera affectio, me compulit: quæ testimoniũ aliquod obseruantiæ in TE meæ publice vti darem iure suo flagitabat. Certe cui innumeris de causis deuinctissimum me esse pariter sentiõ, ac profiteor, huic & otij nostri rationem, & studiorũ qualemqualem fructum, veluti primitias sacro Mœcenati, deferre par erat. Ita que traxit volentem ad tuæ humanitatis aras, admiratio TVI singularis: qui vt amplissimæ splendore dignitatis emines in luce, & oculis mortalium, ita præcipua nescio qua illecebra, notos, ignotosque in vitas ad nominis tui cultum. Quippe tã MAgNus heroicis, Et Religi Osis virtutibus, tã que per te spectandus cunctis occurris, non modo in rerum administratione maximarum, atque in hac quam modo geris inmensæ amplitudinis Præfectura: sed & in omnibus studiorum disciplinis, informantibus ad prudentiam, & officia liberalia in diuinarum & grauiorum litterarum peritia, vt quoties aliqui de TE cogitant, aut loquuntur, & istius dignitatis decus, & gestarum in Italia, Germania, Hispania que rerum gloria præclara, & quidquid gratię apud MAGNVM Regem, & Principes obtines, hęc illis cuncta pariter excidant ex animo. Adeo TV solus præ nobilis animi, & ingenij magnitudine, ac reliquarum laudum corona, id est proprijs, verisque ornamentis, occupas propemodum omnia, nec extra relinquis locum, apud homines, admirationi. Sed in his quæ certatim cuncti prędicant quid immoror? Vnum hoc dicam, nunquam satis vlli dicendum, vetustissimi Latinorum Patrum ingens opus, & quod nisi quis plenus litteris attigerit sub onere labetur, APOLOGETICVM inquam TERTVLLIANI, ante paucos annos a TE in idioma nostrum præstanti non solum ingenio, ac spiritu, sed etiam eruditione, & arte conuersum: appositissimisque adnotationibus sic illustratum, vt & æternæ tuæ gloriæ, & Hispanæ facundiæ, vel hoc vnico ingenij monumento, litaueris. Siue quod languescentem pie-

tas

1 TERTVLLIANVS Apologet. capit. XXXIV. *Grauius est nomẽ pietatis quam potestatis: etiam familiæ magis patres quam domini vocantur.* Papinianus in l. vlt. ff. si a par. quis fuer. manumis. l. potestatis 215 ff. de verb. signific.

2 TERTVLLIANVS Apologet. cap. XIV.

3 Hunc nouũ nostræ titulum fruendum Cæsaraugustæ dedit Manerus Anno M DC. XLIIII. *O triplex honor, O triforme culmen, quo nostræ caput excitatur vrbis, cunctis vrbibus eminens Hiberis.* Pyndarus Celtiber in Peristephanon, Hymno Martyr. Cæsaraugustanor. & Hymno Beat. Fructuosi Tarraconensis.

tatem quæ haud dubie sermone patrio dulcius titillatur, vehementer excitaueris ad spiritum sanctitatis combibendum, 4 & perfectum Christianæ disciplinæ nitorem. Siue quod hominibus nostris, queis bonarum litterarum cura torpescit, 5 necessitatem, & vsum litteratoriæ eruditionis ostenderis; qua veteres illi, tã *fidei, quã iuris* ANTECESSORES, nõ minus quam iustitia, & sanctitate excelluerunt. Atque hæ plane inclytæ tuæ dotes, eruditissime Theologorum, sperare me faciunt non ingratam TIBI fore, quamuis ingrauissimis obeundis muneribus occupato, hanc nostrarum exercitationum nuncupationem: vtique dum intelligo scholastica studia, 6 & agonas istos quibus artium experimenta committuntur, quamquam excellentibus ingenijs serias res agentibus, contrectata, & proprius admota, fastidio sint, leuiter tamen retractata delectare. Ergo adesdum, precor, & 7 *si non licet TIBI*, Seraphici *imperij Antistes* (internosces iam crebrius propriam authoris tui loquelam) *in aperto, & edito ipso fere vertice ciuitatis* matricis *præsidenti ad iudicandum, palam displicere* (vt equidem aduentus tui in hanc vrbem rumor spoponderat) *& coram examinare, quid sit liquido in* hac disputatione Consultorum Salmanticensi *inquirendum*; *liceat mihi, vel occulta via tacitarum litterarũ ad* MANus tuas ERVditaS *peruenienti*, perspicacissimis oculis admoueri. Age, seposita tantisper seu maiorum curarum, seu diuini studij contemplatione, capacissimam tuam mentem, 8 quę scholis formata, bibliothecis exercitata, Academijs, & porticibus pasta, Sapientiam ructat, ad has disertationes legendas, haud grauatus demitte. *Probabis* & in his artis nostræ difinitionibus æterni illius iuris quædam quasi lineamenta: (nec enim semper, vt Hyeronimus 9 dixit, aliud PAVLVS vester, aliud PAPINIANVS noster præcipit) & recognosces pro tua illa animi facultate, cui de omni litteratura, & curiositatis labor, & memorię tenor perseuerat, verissime a TERTVLLIANO tuo dictum 10 *Romanas leges, quæ videntur ad innocentiã pergere, de diuina lege, vt antiquiore, formam mutuatas*: atque vt riuulus tenuis ex suo fonte, surculus modicus ex sua fronde, sic nostros *ciuilis Sapientiæ* latices

4 TERTVLLIANI imitatio ex Apolog. cap. 39. & ex lib. 4. aduers. Marcion. cap. 17.

5 Tertulliani imitatio ex Apolog. c. 20. & lib. de Idol. c. 10. lib. de testimon. an c. 4. lib. ad versus Valentinia. c. 5. item que Iustiniani in l. 1. & 2. C. de veteri iure enuclean.

6 Tertulliani imitatio in Scorpiaco c. VI. & lib. de spectacul. cap. 18.

7 TERTVLLIANVS initio magni operis, idest Apologetici.

8 Tertullianus de testimon. animæ cap. 1.

9 Hyeronimus in epitaphio Fabiolæ.

10 Tertul. Apolog. cap. 45. & detestim. anim. c. 5. Huc spectat collatio legis Dei cum legibus populi Romani, a veteri studioso iuris, an Theologo, facta, & a Pet. Pithæo publicata. In qua collatione sunt hęc verba initio tit. VII. grauiter deturpata, nisi artificio coniecturæ nostræ sic restituas. *Quod leges*

tices a diuinæ Philosophiȩ scaturigine qualitatem ori- ginis continere. Nam quem admodum ex Græcis Sophis nullus est qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit, ita & Romani nostri *diuinum humanum que sapientes* (eodem Septimio 11 authore) *si quid in sanctis offenderunt DIGESTIS, ex inde regestum ad propria verterunt.* Quin & Sanctissimus Ambrosius non leuiter & ipse Romani iuris scientia imbutus, honestatis præcepta quibus *ars boni, & ȩqui* continetur, quæque in hominum societate tuenda versantur, tribuendo que suum cuique, & rerum contractarum fide, *non tã esse IVRISPERITORVM formulas* inquit, 12 *quam PATRIARCHARVM sententias, scriptura diuina confirmatas, & expressas.* Et vero nos hunc ipsum vtriusque iuris concentum, Amplissime Generalis, vt tyronibus per eandem studiorum sectam contendentibus ostenderemus, vel ex tractatu huius materiȩ, in quam forte incideramus, leuiter indicare voluimus eadem sæpius humano prospectu, 13 ac diuino præscripto definita inveniri, in ciuilibus maxime negotijs, & commercijs vitæ, conuersationis que humanæ. Quam obrem pronunciata hæc de iustitia bonæ fidei contractus, ex nostrorum Consultorum DIGESTIS, sapientia, & æquitate plenis, educta: quæ humano generi, velut ipræductis lineis ad incedendum, id prȩstant, ne quis 14 *viam veritatis ignoret, in conductionibus locationibus:* neue quis 15 *iura conturbet* in litigiosis articulis causarum, ad eam speciem commercij spectantibus, hæc inquam legalia consulta, quasi corollã e Septimij floribus contextà redimiuimus. Scilicet vnius TERTVLLIANI authoritate (nam aliorum authorum instructum scienter neglеximus) Iurisperitorum scita confirmantes. Quo sane scriptore, vt neminem inter priscos Theologos extitisse constat instructiorẽ diuinarum scripturarum: ita & neminem Romanarum legum cognitione excellentiorem. Nam siue idem ille ipse est I. C. cuius responsa in Pandectis IVSTINIANI supersunt, vt quidem non leuibus authoribus placuit: siue propinquus quidam eius, vt a TE, Reuerendissime Præsul, eleganter est 16 tradditum; certe consecraneus noster, 17 & familiaris, ac domesticus est; non extraneus, & nullius iuris affinis. Id quod

vel.

leges duodecim. tabularum omnimodo nocturnum furem, diurnum autem si se ausit telo defendere, interfici iubent, sestote Iuris Consulti quia Moyses prius hoc statuit. Porro huic sententiæ germanam damus e TERTVLLIANI lib. 2. advers. Marcion. c. 17 *Dices forsitan hac etiam humanis legibus determinari. Sed ante Lycurgos, & Solonas omnes, Moyses, & Deus.*

11 Tertul. partim Apolog. c. 4 partim c. 47.

12 S. Ambrosius lib. 3. officior. c. X.

13 Tertulliani sententia lib. de spect, cap. 1. & lib. 2. aduer. Marci. c. 19. Maxæmilianus SANDAEVS libros VI. hoc titulo publicauit, *Theologia iuridica, siue Iuris Consultus Christianus;* in quibus materias omnes de contractibus humanis, ex vtroque iure, sacrorum Digestorum responsis accomodauit.

14 Verba sunt textus in l. viãno. C. de locato, & diuinis textibus familiaria Psal. 118. *Viã veritatis elegi, iuditia tua non sum oblitus.* Sapient. cap. 5. *Errauimus a via veritatis, & iustitiæ viam Domini ignorauimus* Ecclesiastici 34 *Dominus solus sustinentibus se in via veritatis, & iustitiæ.* Ierem. 5. Petri 2. c. 2. Tertullianus de resurrect. car. c. 49. *secundum lineamenta Christi incedentes, in sanctitate, & iustitia, & veritate.*

15 TERTVLLIANI sermo est, in pallio cap. vlt & Imperatorum in leg. 1. C. de conductor. & procurat. prædior. fiscal. lib. 11, in qua scribenda Magistrum epistolarum adumbrasse Tertulliani eum locũ, si contuleris, recognosces.

vel pauca ista loca, a nobis ad oram contesserata, tam liquido evincunt, vt si quis penitissimam iuris artem ex proprietate possedisse TERTVLLIANVM addubitet, ei de probationum præscriptione pudorem imperemus. Quis enim nescit aliter nos vti proprijs, aliter cōmodatis, longe que interesse possideat quis quæ profert, an mutuetur? Sed hæc demum omnia qualiacumque, tuo & honori, & nomini cōsecrata, saltem de commendatione TERTVLLIANI placitura, ad sacrarium tuæ eruditionis, Vir omnis doctrinæ curiosissime, afferimus. Semipagani nos quidem, & rudes, impolitæ que peritiæ, vt pote *in scrupea* 18 *schola erudi ti*: sed optima tibi fide mercedem ex pungentes exacti in Astreæ penetralibus quinquenij. TV *meam memoriam* 19 *si ita euenerit, in illis frequentabis*: & suffragio amoris tui, omni 20 CORONA sACRA, & AGONVM præmio gratiori, dignabere legū athletā, nō dū vtique Sabinianū (quamquam vt nostri Sabinianensē) sed *iuris ciuilis veterem*, 21 *& bene fundatam peritiam* sectantem. Cupidum dico sciendi primum quid quid Massuri rubrica notauit; deinde, Sabini 22 exēplo, modo commentaria memorabilium, modo Romanos triumphos, & raptas sine more Sabinas, & reliqua ad iumenta sæcularium litterarum perlegere suetum, *sine quibus* legalia, immo vt ait TERTVLLIANVS 23 & *diuina studia non possunt.* Ego vero hoc publici obsequij authoramento TIBI denuo obstrictus curabo quo ad viuam, vt in optimi, & humanissimi patroni personam, quę sancta clienti esse debet, 24 ratio pietatis constare mihi videatur. Vale, ac viue Reuerendissime Pater, & Christianæ Reip. bono, & si ius est *indigena* erranti terrā patriam 25 salutare, Aragonicæ nostræ regionis fœlicitati. Salmanticæ VIII Aprilis, Anno M. DC. LIII.

Deuotus nomini, cultui que tuo,

D. IOSEPHVS MARTINEZ ARISCVS.
I. V. S.

16 R. Pat. Manerus in præfat. ad Apologeticum, & reliqua TERTVLLIANI scripta §. VI.

17 Tertulliani ipsius voces in Apolog. c. 18 & adv. Marcio lib. 4 c. 3 1. lib. 5. cap. 18.

18 Verba Tertulliani in pallio c. 4. de spelunca, seu schola Chironis vbi Achilles educatus; de qua fuse ibi Pat. Ambianas obseruat. 2. Nos antrum Salmanticense loquimur: de quo fama, & famosissimus Dominus Don Laur. Ramirez ad Chronic. Luitpr. pag. 411. Tamaius ibidem pag. 167.

19 Tertullianus in calce libri 4. ad vxor.

20 Tertullianus pluribus locis, Iure Consulti in l. 40. ff. de re iudic. l. 6. §. 12. ff. de excus. tutor. l. 4. ff. de his qui not. infam. & l. 5. C. quæ res pig. obl. l. vn. C. de athletis lib. X.

21 Diui Fratres in l. 17. ff. de iure patron.

22 Massurius, Sabinus cuius nomine totū ius ciuile intellexit vetustas, scripsit præter libros iuris ciuilis, & ad edictum Prætoris, cōmentarios *memorabiliū*, & in his quædam de *Sabinarum* raptu, a Plinio relata. Item libros *de Triumphis*, cōmētaria de *Indigenis*, & plu[s]cula alia.

23 TERTVLLIANVS de Idololatr. cap. X.

24 l. 1. l. liberto 9. l. 10. ff. de obsequijs parent. & patron. præst. l. 1. in fine ff. de quæst. l. pen. de remilit. Tertullianus adv. Marcio 2. c. 15. advers. Gnost. cap. 3 & alibi sæpe.

25 TERTVLLIANVS Apolog. cap. XXI.

DE LEGIBVS

CONCVRREMVS VOBISCVM,

VT CVM TVTORIBVS LEGVM,

PRINCIPES SEMPER IVRIS,

VIRI SALMANTICENSES,

AVTHORITATE NOBILES,

DEXTERITATE FÆLICES.

QVOTIDIANÆ OCCVRSATIONIS

VTILITATE, SOLIDAQVE IVRIS ELEGANTIA

PRÆDIVITEM MATERIAM

DE LOCATO, ET CONDCVTO,

EXTERGEMINO TITVLO DIG. COD. ET INSTIT. AC RELIQVO CORPORE CIVILIS DOCTRINÆ, IN VNAM SPECIEM, PER LINEAMENTA, DEDVCTAM ET DISSERTATIONIBVS VTCVMQVE COMPREHENSAM,

PVBLICÆ EXERCITATIONI COMMITTIMVS.

Tertullianus Apolog. c. 3.

Tertullianus in Tr. de Palii.

Tertullianus de pudicitia c. 19.

TERTVLLIANVS Scorpiacæ cap. 4.

B AT

ATQVE IN ACADEMIÆ STADIO

CONCERTATVRIS

TERTVL LIANVS lib. . adv. Marc. c.

LINEAS PRÆDVCIMVS AD QVAS

DIMICANDVM.

TERTVL LIANVS Apolog. c 13. & lib. 1 ad natio c 10,

HASTATORVM SIGNA; HIC NVL-
LA SVNT: SVB IVRE, ET FIDE HASTAE FISCALIS
CAMPO STABIT AGMEN APERTO. IN PRIMA ACIE

TERTVL LIANVS lib de resur rect. car. c. XLIII.

LOCATI ERVNT ROMANI PRINCIPES, ET ANTESI-
GNANI IVLIANVS, PAVLVS, VLPIANVS,
SCÆVOLA, PAPINIANVS:

SI RES AD TRIARIOS REDIERIT

LATERA CINGET

AVXILIARIS AFER

Q. SEPTIMIVS FLORENS

TERTVLLIANVS.

LIN.

LINEA I.

LOCATIONIS-CONDVCTIONIS SVBSTANTIA, ET VIS.

LOCATIO conductio, quæ in id inventa, vt cum mutua præstatione vtilitatis, necessarijs vitæ humanæ commercijs subserviret, aut rerum est, aut factorum. Vtriusquè simul naturam definitione hac comprehendimus, vt sit: *Contractus iuris gentiũ & bonæfidei quo alter certa mercede vtendum, aut fruendum in tempus non immodicum, vel faciendum aliquid dat: alter vtendum, vel faciendum accipit.* Est autem negotium emptioni-venditioni propinquum, eisdemque iuris regulis consistens. Nam vt ibi aliud est merx, aliud pretium, ita & hic aliud merces est, aliud quod locatur. Et vt in emptione pretium est æstimatio rei totius: sic in locatione merces temporanei usus, aut facti: quare & ipsa pretium recte appellatur, A vel manupretium. Denique qui locat quasi vendit B usum, aut fructum rei, vel operam exhibendam.

§. I.

ITEM quemadmodum alius est emptor, alius venditor: ita & alius est locator, nempe qui rem utendam, fruendamve dat, mercedem pro usu adepturus: alius conductor qui utendam accipit, & mercedem prommittit. Quod in locationibus rerum fruendarum, & perpetuum, & certum est: in locatione autem conductione factorum, & operarum difficilius discernitur. Sed verius dicetur in factis etiam locatorem esse quid dat faciendum; sed mercedem pro opera soluturus: conductorē, qui acipit vt manus pretiū lucretur. In operis autē locator est, qui se se, operasvè suas vtendas, præstat, mercedem à conductore accepturus.

§. II.

CONTRACTVS is nuda consentientium voluntate perficirur, simul ac de re locanda, & mercede convenerit: nec aut litteræ, aut rei alicuius prestatio ad constituendam invicem obligationem desideratur. Cæterum sine consensu nec subsistere ab initio, nec renovari potest. Inde si conductor impleto tempore maneat in colonia (nam in urbanis prędijs aliud obtinet) re conduxisse videtur, quasi domini voluntate: sed si interim dominus furere cœperit, vel decesserit, locatio non redintegrabitur.

LI-

A TERTVLLIANVS Lib. de de Idololatria, cap. VIII. *Nulla ars non alterius artis aut mater, aut propinqua est. Sed de mercedibus & MANVPRETIIS interest: proi... e. interest & de labore. Mi... or merces frequentiore actu repensatur.*

B Tertull. in rutis cæsis Apologetici seu lib. 1. ad Nation. c. ... de vectigalibus, quæ publicanis locabantur. *Exigitis mercedem pro solo templi. Venditis totam diuinitatem.*

C TERTVLLIANVS Lib. I. ad nationes cap. X. à nemine scriptorum animaduersus alia huius rei testimonia colligentium. *Deos quos in hastarium reges... sistis publicanis sub ... tis* (fortasis ita supplendū, *sublocatis*: iuxta id quod inferius ait, *sanctitas locationē mendicat*) *omni QVINQVENNIO inter vectigalia vestra proscriptos addicitis.*

D. De hac actione, quæ ex lege Rhodia fortè emanauit vnicus in libris nostris locus Serui Sulpicij *l. 31. D. locati*: vnicus itē in alienis authoribus Sept. Tertulliani (quamquā & is noster est, *nostrūq; omnino est quodcūq; de nostris sumptū* vt idē ait de testim. ani. c. 5. Et *hoc ipso quod de meo argumenta sensui suo sumit, meus est, qui de meis utitur*, vt scribit lib. 4. ad. vers. Marc. c. 26.) qui de nauclero Marcione, *cui non qaidem legem Rhodiam: sed Ponticam causse*, dixerat lib. 3. advers. Marcio. c. 6. eleganter ita loquitur lib. 5. advers. eundem cap. 1. *Quam obrem Pontice nauclere, si nunquam su re-*

furtivas merces vel illicitas, in acatos tuas recepisti: si nullum ONVS AVERTISTI vel adulterasti, cautior vtique, & fidelior in Dei rebus? Et quæ sequuntur ex eodem penu iuris deprompta. Diximus esse Serv. Sulpicij quod extat in l. 31 D. locati. quamuis præferat titulum, *Alfeni lib. 5 Digestorum à Paulo epitomatorum* Nam quæcumque in Pandectis extant siue ex integris Digestis Alpheni, siue ex eisdem a Paulo epitomatis, ea omnia Serv. Sulpicio, magistro Alpheni, adscribi oportere Orientales Interpretes tradiderunt. Id quod nos singulariter eo argumento confirmamus, quoniam distinctio, quę ex Alpheno proponitur á Paulo, *in l. qui insulam 30. in princ. D. locati* à Seruio introducta est; vt refert Cæcilius Africanus in l. *& hæc distinctio* 35. *D. eod. titulo*. Concinnit aptissimus locus Africani alterius id est Sep. TERTVLLIANI. lib 4. aduers. Marcion. c. 5. ubi de sacris scripturæ Digestis. *Euangelium quod Marcus edidit Petri affirmatur, cuius interpres Marcus. Nam & Lucæ Digestum Paulo adscribere solent. Capit magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint.*

E TERTVLLIANVS lib. 4. adver. Marcion. c. 29. *Fur enim quomodo videri potest dominus totius hominis? Nemo sua furatur, aut suffodit: sed ille potius, qui in aliena descendit & hominem a dominio ei⁹ alienat.* Idem de Idolat. c. 1. *Fraudis conditio ea est si quis alienum rapiat: aut alij debitum neget: & utique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est,*

§. III.

PORRO cum locatio temporarij usus causa primum sit inducta, non in perpetuum: sed ad modicum tantum tēpus cōstitui potest: puta C in quinquennium: qu d olim & priuatis, & publicis locationibus sub hasta factis solemne erat. Quod si in perpetuum fiat egredietur ea res legitimos terminos vulgaris, & proprię locationis: & erit contractus quo vel id agitur vt ius emphiteuticum concedatur *vectigali* imposito; vel vt ius superficiarium *solario* constituto. Præterea locatio ius possessionis non transfert: neque ius aliquod in rem tribuit conductori: vtpote qui tantum alieno nomine in possessione est, vt re conducta fruatur, pro natura huius contractus. Adeo vt neq vectigalis prædij perpetuarius possessor, id est emphiteuticarius, neque superficiarius conductor dominium habeat.

§ IV.

SANE quidem rerum locatarum non nulla sunt genera in quibus dominij translatio intervenit. Nam redemptores, qui sua impensa ædificādum conduxerint, statim cęmenta faciunt locatoris in cuius solo ædificant. Sed hoc magis voluntate domini, rem suam ex causa transferre volentis, extrinsecus fit quam vi & potestate principalis contractus locati-conducti. Similiter si aurum infectum aurifici dedero, mercede constituta, vt is mihi ex eo, vel alio æque bono corpus aliquod faciat, locatio conductio erit, in qua dominium transit ad aurificem, non locationis natura & vi: sed quasi genere quoddam permutationis.

§. V.

EADEM asserimus si merces vehendas quis locavit quę ita nauclero traderentur, vt continuo eius fierent & ipse in creditum iret, easdē, vel alias eiusdemgeneris recepturus: puta si plures mercatores frumēta D sua in navem unā cōtulerint. Quare & eo casu cessabit actio oneris auersi: cum videri non possit onus fraude auersum E quod nautæ fuisset.

LINEA II.

MERCES QVALIS ET QVALITER STATVENDA.

SVBSTANTIAE contractus præcipue deputamus mercedem pro rei vsu, aut operæ exhibitæ pretio ab initio constitui: alioquin sine mercede in commodatum vel donationem aut aliud negotium res abibit. Et si imagine mercedis quæsita locatio vno nummo fiat nulla erit. Quod si donationis causa vilius locaueris hoc valebit; extra quam si in fraudem iuris factum sit.

§. I.

SVFFICIT autem de mercede convenisse, seu maior ea sit, seu minor voto contrahentium. Nam in ipsorum est potestate qua mercede locent, vel cōducant: in eaquè difinienda licet naturaliter contrahentibus se se circumscribere: nec prætextu maioris, aut minoris pensionis rescindi contractus potest: si modo dolus absit, quem ubivis honestatis formula averruncat. Item quemadmodū in emptione A pretij luxus legum præscripto non coercetur, sic & quanta quisquè mercede fruatur, aut habitet animaduersio B tantum censoria notauerit.

§. II.

RVRSVS conuenisse de mercede sic accipimus, si de certa C convenerit. Vel expressa ab initio palam quantitate, vel certa demonstratione adiecta, cuius ratione postea constet quid placuerit. Ergo si quis alteri locet non definita, aut demōstrata mercede; sed postea daturus quantum ipsi æstimauerint, locatio non procedet: sed ex innominato negotio præscriptis verbis actio nascetur. Similiter si locator mercedem in arbitrio conductoris D locauerit, inutilis est conuentio, quæ ad nihilum redigi potest.

A TERTVLLIANVS lib. de pallio c. 5. *M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: bis tantum Asinius Gallus promensa eiusdem Mauritaniæ numerat, &c.*

B. Censores Lepidum Aelium augurem *quòd sex millibus ædes conduxisset adesse iusserunt*, ait Paterculus lib. 2. c. 10. sed addit: *At nunc si quis tanti habitet, vix vt Senator agnoscitur.* Scilicet posteri à maiorum continentia desciuerat. *Et iam dudum censoriæ intentionis episcydio disperso*, vt ait Tertullianus de pal. cap. 4. modestiores leges obliteraverant Idem Apolog. cap. 6. *Quonā illæ leges abierunt sumptum, & ambitionem comprimentes? Quæ centum æra non amplius in cænam subscribi iubebant? Quæ patricium quòd decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis, Senatu summovebant? &c.*

C. Tertullianus lib. de resurrect. carn. cap. 21. de edicto resurrectionis in albo sacrarum tabularum proposito. *Verisimile nō est vt ea species sacramenti in quam disciplina tota cōnititur, ambigue enūciata & obscure proposita videatur: quā spes resurrectionis nisi manifesta de periculo, & præmio nemine ad religionē persuaderet. NVLLVM OPVS CERTVM EST MERCEDIS INCERTAE. Nullus timor iustus est periculi dubij*

Aubij. Et merces autem & periculum in resurrectionis pendet eventu.

D Tertull. lib. 1. ad Nation. c. 10. *Impyssimum admissum est in arbitrio sententiæ humanæ locare honorem divinitatis, &c.*

E TERTVLL. lib. de fuga c. 12. de Sole, quia mediũ orbẽ signans subduxit se se, in morte Christi qui sanguinis sui mercede mercatus nos est in cœlis, pro prissimo iuris verbo, nove, sed elegãter vsurpato dixit: *Sol cessit diem emptionis nostræ.* Quod sic explican lu n; Sol cedens, & se se subducens, fecit vt dies redemptionis nostræ cederet.

F Tertull. Apolog. c. 4. *Nonne vos quottidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem, & squallentem sylvam legum, novis principalium rescriptorum, & edictorum securibus truncatis, & ceditis? Non ne vanissimas Papias leges heri Severus, constantissimus Principum, exclusit? Quot adhuc vobis repurganda latent leges?*

G Ea magis sententia *admittenda, qua meras vtilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessarijs commoditatibus vitæ humanæ procuret:* Tertull. lib. de coron. milit. c. 8. quem vide etiam lib. adu. Mar. c. 11. *Vers. Quando etiã.*

§. III.

PLANE si in alterius quàm contrahentium arbitrium mercedis præfinitio conferatur, distinctionẽ ad hibemus. Si generaliter persona non designata quanti alij æstimaverint merces pomittatur in expedito est nihil agi. Sin ita quanti L. Titius æstimaverit, quoniam existente conditione certa fieri potest merces contractus secundum Titij æstimationem omnino valebit arbitriumquè illius E cedet diem locationis. Quòd si Titius vel noluerit, vel non potuerit arbitrari inutilis erit locatio, vt pote nulla mercede statuta: vtiquè enim id actum creditur ne aliter valeat quàm eo arbitrante. Quòd ius noua Principalis rescripti decisione, F adversus dubitationes antiquæ prudentiæ declaratum est.

§. IV.

ILLVD maxima contentione tractatur, num merces constitui necessario debeat in imagine signato nummo, an vero possit & in alijs rebus? Nos, recusatis multorum distinctionibus, quæstionem his lineis terminandam didicimus. Mercedem locationis nisi in pecunia numerata consistere iure non posse: vt habeat hic contractus propriam evidentiusquè distinctam à conventionibus innominatis naturam. Cæterum si cum de locatione verè contrahenda ageretur, idquè constet fructus, vel aliæ res, pecuniariæ mercedis nomine constitutę palam sint, ex vtilitate, G & communi contrahentium vsu, receptum esse, vt nihilominus propria locatio contracta intelligatur.

LINEA III.

QVAENAM LOCARI, CONDVCIQVE POSSINT.

LOCARE possumus quascumque fere res nostras: & quidem etiam post venditionem, si nondum pretium solutum est. Item res alienas, sive in his aliquod ius habeamus, vt creditor, fructuarius, siue nullum. Rem autem nostram conducere non possumus: nisi possessionem eius alius habeat. Sic à creditore qui pignoris iure teneat, vtiliter ... us rem propiam & conducet, & precario rogabit, propter A usum quem ab eo ad se transfert; siue simpliciter, & respectu proprietatis siue specialiter possessionis solius respectu conduxerit. Sane hoc casu si soluto debito pignus reddat B creditor, finietur conductio & debitor quidem ex conducto tenebitur, locator non item ex conducto.

A TERTVLLIANVS lib. 4. advers. Marci. cap. 19. *Nemo autem transfert quid nisi ab eo qui habet id quod transfert.* Idem Apolog. cap. 11. ubi de mancipe divinitatis. Rursus lib. adv. Hermogenem cap. 8. *Nemo non eget eo de cuius rebus utitur: nemo non subjicitur ei cuius eget, vt possit vti.* Et mox cap. 9. quasi delicias iurisperitię suæ ostentans; *De alieno usus aut precario usus est, qua egens eius, aut & iniuria qua pravalens eius. His enim tribus modis aliena summuntur; iure beneficio impetu: id est dominio, precario, vi, dominio non suppetente.*

B Tertull. adver. Marci lib. 4. c. 17. *Et pignus inquit reddet; vtique si non sit solvendo: quia soluto debito utique pignus restituendum esse vtrum homo scriberet?*

§. I.

PECVNIA locationem non recipit: sed si in hoc forte locetur, vt dicis gratia, numerationis loco intercedat. vel similem vsum pręstet locatio existet. Servitutes prædiorum locare nemo potest. Nam & is qui servitutem constitutam, ac prędio suo debitam iam habet, locare nequit eam alteri, quamuis prædium vicinum possidenti: & rursus qui seruitutem alicui de nouo constituere velit per locati conducti speciem nihil aget.

C TERTVLIANVS de Idololat. cap. 8. *Scit albarius tector, & tectoria inducere, & cisternam liare*: & quæ plura ibi sequuntur de artificibus, & opificibus, & mercedibus, & manupretijs.

§. II.

DE VSVFRVCTV sic definimus: posse à fructuario res quibus fruitur alteri locari fruendas: ipsum ius vtendi fruendi non posse. Quin etiam dominum proprietatis locare verum propium vsufructum non posse defenderemus: sed per huiusmodi locationem ius quoddam instar vsufructus cõstitui tam à simplicis locationis natura, quam à mero iure usufructus distinctum. Certe mortuo conductore non extinguitur ius istud, nec ad dominum qui locauerat revertitur.

D. Tertull. Apolog. cap. 14. *Ille Neptunus structorias operas Laomedonti locat &c.*

E Tertull. de patient. c. 7 *Gentiles pecunia causa ludo, & castris se se locant.* Idē ad Martyr. c. 4. Quot

LINEA.

§ III.

QVEM admodum rerum fruendarum ita quoque actorum, & operarum locatio conductio proprie constituitur: vt si quis aliquid vehendum, domum faciendam redemptori, vestem sartori, tectori C parietes, aut cisternam incrustandam locaverit, certo manus pretio: vel è converso si artifex structorias D suas operas locaverit, aut navem nauclerus. Item si quis sese ad gladium locavit, E vel vt proderit artis ludricæ causa: vel si operas suas ob mercedem authoratus in hoc promisit, vt cum feris depugnaret (non si in harena passus est se honorari) locati conducti ius est; licet ex his causis infamia F sequatur.

§. IV.

NON autem in quibuscumque factis, & operis, quæ alteri præstantur locatio contrahitur: sed in his quæ & ita constituta sunt, vt locari soleant & in quibus pecunia pro opera tanquam merces datur. Vnde cũ professoribus liberalium artium: veluti legum, iurisquè Doctoribus, Advocatis, Medicis, itẽquè ludi literarij Præceptoribus locatio cõductio iure non existit: quoniam adversus has personas mercede non defungimur. Sed extra ordinem audiuntur.

§. V.

EADEM causa est Agrimensorum, & Procuratorũ. Cum imprecantibus, & exorcizantibus, Romano iure locationẽ conductionem intelligi putamus. Sed Christiana disciplina quæstum G ex hac re omnino respuit. Proxenetæ qui non improbabili more operam suam accommodant contractibus, & huiusmodi rebus licite H conciliandis proxenetica iure petunt: sed ex locato conducto actiones hic non sunt.

Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipsas affectatione descendunt. Vide & principium libri ad Scapul. & lib. 1 ad Nation. cap. 18.

F TERTVLLIANVS de Spectacul. cap. 22. *Ipsi auctores, & administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios: ex eadem arte quia magnificiunt deponunt Immo manifeste damnant ignominia, & capitis minutione: arcentes Curia Rostris, Senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus. Amant quos multant, depretiant quos probant; artem magnificant, artificẽ notant. Etiam obstrepente gratia voluptatis damnandos eos censent, a[d]emptis bonis dignitatum, in quendam scopulum famositatis.*

G TERTVLLIANVS Apolog. cap. 37. *Quis vos ab illis occultis, & vastantibus mẽtes, & valetudines vestras hostib⁹ raperet? A demonum incursibus dico, quæ de vobis sine premio, sine mercede depellim⁹.* Vide eundem ibid. cap. 23. & 43. item de spectacul. cap. 26. & de Idolat. c. 11.

H TERTVLLIANVS de habitu mulie. cap. 11. *Si mercedes pro libidine, nullius rei turpis merces decora est.*

QVINAM LOCARE CONDVCERE POSSINT.

DECVRIONES civitatum, & municipiorum ad exemplum Senatorum vrbis, ex veteri satis iure. vectigalia quamvis minima, & saltus aut prædia suæ, vel extraneæ Reipublicę, suo nomine, A vel per subiectam personam conducere, egregia iustitiæ ratione, prohibentur: posteriore autem interdictione privatorum etiam fundos, & res alienas quascumque.

§. I.

RELIQVATORes vectigalium publicorum adite randam conductionem antequam superiori conductioni B satisfecerint admittendi non sunt. Item debitores fisci, vel Reipub. vectigalia conducere prohibentur: nisi tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere sint parati. Ad hæc filij familias, & minores viginti quinque annis fundorum fiscalium, vectigalium que non idonei conductores habentur.

§. II.

HOC amplius qui tutelam, curamvè pupilli, vel adolescentis, gerit, & qui finita tutela, vel cura non dum officij sui rationem reddiderit, vectigalia, aut quidquam ex patrimonio Cæsaris conducere non possunt: alioquin si C dissimulata conditione ad id accesserint plectuntur lege Cornelia de falsis. Plane si post quā vectigalia, aut prædia ad fiscum pertinentia quis conduxit, tutor, aut Curator fiat, iniunctum munus iure suscipiet: quippe hoc nomine excusationem à tutela statim non habet.

A TERTVLLIANVS lib. de Idololo. cap 11. *Licet enim ab alijs fiat non interest si per me. In nullo necessarius debeo esse alij cum facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me.* Quæ postrema verba consonant cum l. 29. hoc tit. *Idem* Tertullianus lib. 2. de Nationes cap. 5. *Certum est quodcumque est ei adscribendum non per quod fit; sed a quo fit: quia is est caput facti qui, & ut fiat, & per quod fiat instituit.*

B TERTVLIANVS lib. de anima cap. 56. *Eo usque donec reliquatio compleatur ætatis.*

C TERTVLLIANVS eod. lib. de Idololatria cap. 22. *Nemo se debet promulgare: puto autem nec negare: negat enim quicumque dissimulat, in quacumque causa.* Vide ibidem cap. XI. de publicarum victimarum redemptore.

D TERTVLLIANVS de Idolol. cap. XVII. *Credamus succedere alicui posse, ut in honore positus non hostias locet: non curas templorum deleget: non vectigalia eorum procuret.* Idē Tertullianus Apolog.

 §. III.

§. IIII.

VECTIGALIA autē hic & alibi sic accipimus: aut portoria aut venalium rerum: nec non Salinarū, & metallorum, & ex auri argenti, cretæ fodinis aut coteris. Item vectigalia templorum, D. quæ cū cæteris publice sub annotatione Quæstoris singulis quinquennijs locari olim solita: & fori olitorij & foricarum. Nā ad hęc omnia pertinet superior interdictio.

§. V.

PRAETEREA milites generaliter alienarum rerum conductores, & fideiussores, vel mandatores conductionum esse prohibet disciplina militaris: tam eos qui in *armata* militiæ *numeris* præliorum casus expectant: quam qui per *vndecim scholas* Palatinas descripti, Protectorum, Domesticorum Silentiarum, & similium, in ipsa Regia aula militabant: nec non qui Fæderatorum nomine per *Optiones* distributi *Philarchis* parebant.

§. VI.

FABRICENSES quoque quia milites imitantur eadem interdictio tenet. Denique Palatini rerum privatarum officiales nempe, & apparitores qui privatarum remunerationum Comitibus obsecundant, possessiones rei privatæ Principis (non aliorum) per se, vel per alios conducere prohibentur. Extra has personas cæteris non exceptis locationes cōductiones agitare iura permittunt.

Apolog. cap. 13. *Templorum vectigalia quottidie decoquunt: stipes quotusquisque iam iactat? Sed cætera vectigalia gratias Christianis agent, ex fide de pendentibus debitum.* Rursus eiusdem libri ca. 13. *Publicos Deos in hastario vectigales habetis. Sic capitolium: sic Olitorium forum petitur. Sub eadem voce præconis, sub eadem hasta: sub eadem annotatiune Quæstoris diuinitas addicta conducitur.* Quæ loca eruditissimus Pat. Manerus potenti facundia explicuit Hispanis. Sed en Tertullianum etiam ipsum explicatorem in prima delineatione Apologetici, siue lib. 1. ad Nation. c. 10. *Deos quos in hastariū regessistis publicanis sub* ... *tis* (emendabam ego *sub venditis*) *omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis. Sic Serapeum, sic Capitolium petitur, addicitur, conducitur. Maiestas constituitur in quæstum: sanctitas locationem mendicat. Exigitis mercedem pro solo templi; pro aditu sacri: pro stipitibus, pro ostijs. Venditis totam diuinitatem: plus denique publicanis reficitur, quam Sacerdotibus.* Videsis Rigaltium observat. pag. 6.

L N E A V.

LOCATORIS OBLIGATIO, ET ACTIO CONDVCTI.

LOCATOR conductori non solum tenetur, vt præstet frui licere: sed etiam vt commode frui; ac, si velit, etiam alteri locare possit. Quare si conductorem prohibeat frui dominus, vel extraneus quem is prohibere potest: si rei possessio, villa refecta, & domus fulta non præstetur, actio *ex conducto* varie dabitur inquilino, aut colono. Si nulla culpa locatoris, sed casu, aut vi maiore conductor prohibeatur hactenus tenebitur, vt mercedē remittat: vel iam solutam reddat, vt indebitam, pro ratione temporis quo frui non licuit. Cæterum si locatoris culpa id accidat non tantum mercedem remittet: sed & præstabit quanti eius interfuit perfrui conductione.

§. I.

VNDE si dominus rem locatam vendidit, emptor autem cōductorē expellat, locator in id quod interest obligatur. Item si rem locatam legauerit, cum herede eius conductor aget ex conducto. Et si rem alienam quis locauerit, ea que euincatur conductori, præstabit dominus quod illius interfuit; id que siue ignorans, siue sciens locasset.

§. II.

SANE si fructuarius rem qua utitur locaverit: mox decedat intra tempus locationis, heres non præstabit frui licere, si colonus à proprietario expellatur. Sed si maritus dotale fundum locavit, & post mortem eius, aut divortium, mulier colonum expellat, adversus

A TERTVLLIANVS lib. de anima cap. 38. perquam belle & graphice Iuris Consultum agēs. *Domus animæ caro est, & inquilinus carnis anima. Desiderabit itaq́, inquilinus ex causa, & necessitate huius nominis profutura domui toto inquilinatus sui tempore: non vt ipse substruendus, nec vt ipse loricandus, nec vt ipse tibicinandus; sed tantum modo continendus quia non aliter contineri possit, quam domo fulta. Alioquin licebit animæ ex destitutione pre priorum subsidiorum incolumi abire.* Qui locus conferendus, cum alio eiusdem libri cap. 9. ubi ex Sorano disputat, & c. libri de re sur. cam. Allusit huc & lib. de cultu fæmi. cap. 1. *Cum omnes templum simus Dei illato in nos, & consecrato Spiritu Sancto, eius templi æditua, & Antistes pudicitia est: quæ nihil immundum, inferri sinat, ne Deus illus qui inhabitat, inquinatam Sedem offensus derelinquat.*

A TERTVLLIANVS Lib. 2. adver. Marcion cap. 20. insigni, & doctrina iuris referta disputatione. *Age te ipsum expostulo arbitrum. Cognosce prius, & ita iudicabis. Reposcunt Ægyptij de Hebris vasa aurea, & argentea. Contra Hebrei mutuas petitiones instituūt: allegantes, ex eodem scriptura instrumento, SIBI quoque mercedes RESTITVI OPPORTERE pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis ædificatis. Quid iudicas, optimi Dei elector, Hebreos fraudem agnoscere debere an Ægyptios compensationem?* vide plura quę ibi sequūtur.

versus maritũ, aut heredes eius in id quod intereſt colonus agens obtinebit: niſi in reſtituendo fundo maritus ſibi, aut heredes proſpexerunt.

Idem TERTVLLIANVS de eadẽ re lib. 4. aduerſ. Marcion. cap. 24. *Si & Christus dignos pronunciat mercede operarios, excuſabit præceptum illud creatoris de vaſis aureis & argenteis Aegyptiorum auferendis. Qui enim villas & urbes operati fuerunt Aegyptijs, digni utique operarij mercede ſua, non ad fraudem ſunt inſtincti: ſed ad mercedis compenſationem: quam alias a dominatoribus exigere non poterant.*

C TERTVLLIANVS Lib. de cultu fæminar. cap. 2. peritiſſima elegantia quaſi tractans ſpeciem legis 12. Cod. de locato; *Vt à culpa vaces ab invidia non liberaberis: ut quum in alicuius agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem dominum non cõſtingit: dum res tamen eius ignominia notatur, ipſe quoque infamia aſpergitur.*

D De alia cauſa depoſiti eſt illud doctiſsimum TERTVLLIANI lib. de reſurrect. car. c. 5 *Hic ſequeſter Dei, atque hominum appellatus, ex utriuſque partis depoſito commiſſo ſibi carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo; arrhabonem ſummæ totius; &c.*

§ III.

COMPETIT etiam actio conductori ex his cauſis ſi in re conducta aliquid neceſſario, vel utiliter impenderit, vel ædificaverit, cum id non conveniſſet. Nam ad recipiendas impenſas ex conducto experietur; vel adverſus petentem B oppoſita exceptione reputabit. Sed etſi hominem, qui operas præſtaret locaveris, & is furtum fecerit, aut damnum dederit conductori: tam ex conducto, quam furti, & ex lege Aquilia actionẽ habebit.

§ IV.

ENIMVERO damnum per aggreſſuram latronum C in poſſeſsione locata, rei conductoris illatum, à domino poſſeſsionis, quẽ nullius criminis reum facere poteſt, reſarciri ſibi nulla ratione deſiderabit. Item edictum ædilitium, propter vitia rerum, in locationibus non habere locum magis probamus.

§ V.

SI horrea mercium, vel aliarum rerum reponendarũ cauſa D locata ſint & culpa locatoris res depoſitæ damnum patiantur, ex conducto obligatur. Sed effracturam latronum præſtare non cogitur: niſi cuſtodiam recepit: vim autem maiorem etiam ſi recepit.

LIN:

LINEA EXTREMA

CONDVCTORIS OBLIGATIO, ET ACTIO LOCATI.

LOCATORI aduersus conductorem locati formula competit ex his fere causis. Si re male vtatur, vt eum expellat, vel damnum reciperet. Si mercedem tempore A præscripto non soluat, vel ex more regionis: in quam actionem & vsuræ post moram veniunt. Sed si ex iusta, & probabili causa conductor rem deseruerit, pro ratione temporis quo fruitus non est deductione opposita, B exonerationem mercedis consequetur. Alioquin si absque causa solutionem recusans pensionis debito non paruerit, a colonia, aut habitatione invitus expelletur: quamuis in lege conuenisset ne expelli posset. Quin imo, & mercede non soluta res invectas, C & illatas quas inquilinus tacito iure obligauit, vel colonus nominatim, pignoris iure locator prosequetur.

§ I.

FINITA conductione rem extantem restituere conductor debet. Adeo vt & si forte contendat se esse dominum rei, non audiatur: sed prius D possesionem locatori, cui competit, restituere debeat, & tunc de proprietate litigare. *E*nimvero si dolo, aut culpa eius perierit, vel deterior sit facta, ex locato tenetur in id quod interest: præstare enim conductor debet regulariter latam, & leuem culpam; non etiam leuissimam.

§ II.

PLANE ob vim maiorem, aut casum fortuitum conductor non tenebitur. Ideo nec incendium ei imputabitur, quod sine culpa ipsius acciderit. Cæterum si conuenerit vt etiam vis maior, & casus fortuitus locatori præstetur, standum est pacto conuento. Nam & alias si conductor fidem pacti destruxerit, & omnia secundum legem E conductionis non faciat, hac actione tenetur.

§ IV.

A TERTVLLIANVS de Idolo. cap. 13. *Dies apud alios honoris titulū, apud alios mercedis debitum expungunt.* Et mox. *Si tibi præscriptum sit de die, quo minus id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, circa dies obseruationem tuas, vel recipias, ad formulam in quam volis agiterem.*

B Tertullianus de resurrect. carn. c. 41. *Non tamen restitutionē negauit si cōpēsationem mercedis opposuit: cum ipsi cōpensatio debeatur, cui dissolutio deputatur &c.*

C Tertullianus allusit lib. de testim. animę cap. 1. *Ea ex postulo qua tecū in hominē infers.* Idem de patient. c. 13. *Rector animus facile cōmunicat spiritus invecta sū habitaculo suo.* Item de culto fęminar. c. 1. *Cū omnes templum simus in quo Deus in habitat, illato in nos Spiritu Sancto.*

D TERTVLLIANVS de præscriptionibus cap. 15. *Hūc potissimū gradum obstruimus, non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem. Si hæ sunt vires eorū, anne eas habere possint, dispici debet cui cōpetat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas cui nullo modo competit.*

E TERTVLLIANVS lib. adv. Iud. cap. 2. *Deus Adam colonum paradisi præficit.* Et antea. *Legē dedit ne de fructu arboris cōmederet. Quæ lex ei sufficeret si esset custodita.* Idem lib. 2. adv. Marcion. c. 2. *Colonus Legem obseruare neglexit: ideoque non habendo fidē, etiā*

quod videbatur habere ademptũ est illi, paradisi gratia, & familiaritas Dei. Mox cap. 4. *Porro si legis imponendæ ratio præcessit, sequebatur etiã obseruandæ.* Vide ibidem caput 6. vbi ex iuris solemnibus assumit tractatũ de mancipatione, & libri pende mancipati a Deo arbitrij parendi legi: Item cap. 8. illic, *Vidisset homo* &c.

F Vt fuit olim mos, quem TERTVLLIANVS adnotauit lib. 1. ad Nation. c. 6. *De hinc, vt vestra, adolescentem dominus in agrum, & vincula legat:* & prius c. 4. *Pater filium de quo queri desierat ex heredauit: dominus seruum quem necessarium senserat, in ergastulum dedit.* Quæ eadem postea strictius in Apologet. cap. 3. *Seruum iam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegauit.* Rursus lib. 2. adv. Marcion. c. 2. *Redhibitus materiæ suæ, & in ergastulum terræ laboranda relegatus:* Item 4. adv. Marc. c. 26. *quia offenderat Deum suum.* Vlpianus quasi e Tertulliano singula verba delibans omnia ista contunxit in l. 35. §. 2. de heredib. instit. Legito ibi.

G TERTVLLIANVS de fuga in persecut. c. 11. parabolam mani pastoris explicans. *Proÿcietur de villa pastor huiusmodi, detinebuntur illi missionis suæ mercedes in compesatione: immo, & de priore peculio eius exigetur detrimenti, dominici restitutio.*

LINEA EXTREMA.

§ III.

SI rem locatam subrripuerit conductor, cum iudicio locati concurret actio furti: vel si damnum iniuria dederit, eiusdem rei nomine legis Aquiliæ, & ex locato actio competit: quamquam alterutra scilicet contentus esse debet actor. Simili ratione si seruus coloni villam incenderit, dominus ex locato, & lege Aquilia ob culpam serui, suo nomine conuenietur: vtique si sciens noxium, & nequam seruum F in villam conductam induxit.

§ IV.

IN factorum, & operarum locationibus conductionibus, eadem fere de obligatione mutua dicimus. Nam locator operas nisi præstet actione ex conducto teuebitur. Si duobus simul locauerit priori conductori ante satisfacere debet. At si per eum non stat, quominus præstet, totius temporis mercedem a conductore obtinebit.

§ V.

SI quis vitulos G pascendos, vel facieñdum quid, poliendum ve conduxit culpam præstat. Qui insulam ædificandam aut simile opus faciendum cõduxit, hoc alteri artifici locare potest: habebit que, & ipse directam ex locato actionem. Cæterum ipse faciens intra id spatium perficere debet intra quod viri boni arbitrio fieri posset, alioquin actione locati obligatur.

HÆC

HAEC ITA VTI HIS CHARTIS, LINEIS VE PER SCRIPTA SVNT, ITA DAMVS, ITA PRODVCIMVS IN SCAMMA: ITA TESTAMVR IVRI, & LEGIBVS ESSE CONSONA. BONI QVIRITES IN HANC REM TESTIMONIUM PER HIBENT. HABEMVS ORIGINES FIRMAS AB IPSIS AVTHORIBVS QVORVM FVIT IVRIS SCIENTIA. SICVT CAVERVNT TESTATIONIBVS SVIS; SICVT FIDEICOMMISSERVNT; SICVT ADIVRAVERVNT; ITA TENEMVS, ET QVASI MERAM VERITATEM POSSIDEMVS.

Tertvllianvs lib. de præscriptionib. cap. xxxii. I.C. Vlpianus lib. Regular. tit. de testamẽtis §. 8.

Tertvllianvs.

PRO HIS IN COLLVCTATIONEM ADVERSVS OBLVCTANTES, ET IN VERITATIS EXPVGNATIONEM CONSPIRANTES, ATHLETA DESCENDET IN PRINCIPE VRBIS, ET ORBIS GYMNASIO,

Tertullianus de præscription. cap. XLI.

DON IOSEPHVS MARTINEZ ARISCVS I.V.S.

XISTARCHVS, & AGONIS PRAESES

Tertvllianvs.

ADSTABIT D. PETRVS VALERO DIAZ,

IVRIS CIVILIS IN ACADEMIA PROFESSOR, ET COLLEGII MAIORIS S. SALVATORIS OVETENSIS ALVMNVS, ET RECTOR.

DIE VIII. MENSIS APRILIS AB HORA IX. ANTEMERIDIEM

DIS-

Tertullianus lib. 1, ad uxor. cap. 8.

DISPVTATORES IN IMA CERA, HOC SOLIDVM CAPITE ADMONITIONIS

Tertul. advers. Valentin. c. 4

FIDEICOMMISSVM.

Tertul. de præscript. c, 14.

Ex eodem omnia va-rijs locis.

Prudêtius initio Apotheos.

Tertullianus.

SI QVID IN HIS LEGALIBVS PRONVNCIATIS VIDEBITVR VEL AMBIGVITATE PENDERE, VEL OBSCVRITATE OBVMBRARI, QVÆRITE & TRACTATE, & OMNEM LIBIDINEM CVRIOSITATIS EFFVNDITE. TANTVM LINEAS RECTAS DVCITE, & AD HAS NOSTRAS, CONDVCITE. AB HIS NE EXCEDITE, NEC VLTRA, HAVD CITRA GRADVM LOCATE. AD QVAMLIBET VNAM CONGRESSIONEM DIRIGITE, EIQVE COLLATO PEDE INSISTITE. QVOD SI EXCIDERITIS RVRSVS AD LINEAM. COETERVM NE MICAS DEMINVTILOQVIO, PER SYLLOGISMOS PLECTILES, INFARCITE. PER EANDEM LINEAM RECIPROCARE SERRAM HAVD LICET. DENIQVE DISPVTATIONIS VNA IAM LINEA,

ET LEX HAEC ESTO.

VERITAS LIMATA: OPERÆ LOCATÆ MERCES FAMA, ET GLORIA.

TERTVLLIANVS

LIB. DE PRÆSCRIPT.

CAP. XIV.

Exercitatio disputationum in curiositate consistit: habens gloriam solam de peritiæ studio.

C. PLINIVS VALERIO SVO

LIB. IV. EPIS. XV.

Studeamus ergo, nec desidiæ nostræ prętendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant: nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus.

EX NOVATIANO ROMANÆ VRBIS PRESBYTERO LIB. DE TRINITATE

CAP. XXIII. ET XXX.

Hæc latius ad pompam potuerunt porrigi, & propenſiore diſputatione produci: ſed pro inſtituto, & noſtrorum authorum exemplo, limatius ſint nobis dicta & ſtrictim poſita, & multa paucis dictata.

SALMANTICAE
IN TIPOGRAPHEÏO
COSSIANO AN. CHRISTI
∞ DC. LIII.